Σὺν τῷ Θεῷ

DISPUTATIO THEOLOGICA.

DE

TERMINO VITÆ HUMANÆ,

QUAM

Ipsius Dei Opt. Maximi, unici Vitæ Humanæ Moderatoris, Auspiciis

IN

Auditorio Archi-Gymnasii Tremoniensis Majori

PRÆSIDE

M. JOH. CASP. BAROPIO,

Patrii Archi-Gymnasii

PRO-RECTORE,

Publico Eruditorum Examini submittet

RESP.

WILHELMUS GEORGIUS Schragmüller/

Lennepâ-Montanus.

Die 31. Aug. An. M. DCC. I. Horis solitis.



TREMONIÆ,

Typis JOH. FRIDERICI RÜHLII, Typographi.

VIRIS

Admodum Reverendis, Praeclarissimis nec non Doctissimis

Dn. GEORGIO BARTHOLDO SCHRAGMüLLERO, Pastori in Metropol. Lennep. fidelissimo, R. Ministerii Assessori gravissimo, Parenti suo filiali obedientiæ cultu ad extremum vitæ usq; halitum religiosè prosequendo.

Dn. JOHANNI Klein/ Pastori in Lüttringhausen solertissimo V. Ministerii itidem Assessori meritissimo, Cognato & Patrono suo perpetim colendo.

Dn. JOH. LEOPOLD. Torley/ Pastori apud Neo-stadienses ut & Widenestenses vigilantissimo ut & meritissimo, sororio & amico suo dulcissimo.

Dn. ULRICO FRIDERICO HILDEBRANDO, Pastori apud Cronebergenses solertissimo, Patrueli suo amantissimo.

UT ET

Nobilissimo Consultissimo

Dn. JOHANNI THEODORO Halbachen/ J. U. Licentiato & Advocato famigeratissimo ut & Doctissimo, consobrino suo medullitus amando, prosequendo.

NEC MINUS

Admodum Reverendo, Clarissimo, ut & Doctissimo

Dn. THEOD. FRIDERIC. Garenfeld/ Ecclesiastæ in Lüttringhausen solertissimo, Consobrino perquam animitus colendo, venerando.

SIMUL AC

Nobilissimo Clarissimo nec non Doctissimo


Dn. JOHANNI CONRADO SCRAGMüLLERO, Venerandi Ministerii Candidato dignissimo, fratri suo germano ut ὁλοκαρδίως diligendo ita φιλαδέλφως observando.

Specimen hoc disputatorium consecrans, se suaq; studia commendat

RESPONDENS.



573.



Q. D. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA. DE TERMINO VITÆ HUMANÆ.

προοίμιον.



Rgumentum aliquod Theologicũ edere volentibus, haut longè arcessenda fuit Materia. Acerbissima enim quæ ex illa, per providâ Dei curâ, genio humano ingenita φιλοστοργία hactenus indoluimus dolenter animo admota fata, aliud præcipite hac æstate, obluctante licèt toties adhuc animi mœrore, ventilare non permiserunt, quàm illud de *Vita humana Termino.* Cùm enim cordi nostro chariores, illic seriùs hîc citiûs è vita abeuntes, non sine concusso tristitiæ salebrâ vultu, vale ultimô factô, linquere, humana jubeat fragilitas; eò sanè Vitæ nostræ fata procedere conspicimus, ut multos inopinatos, Nestoreos sibi spondentes Annos, & aliquâ longævitatis mensurâ vitam metientes, præter omnem expectationem *Vitæ Terminus* obruat, aliosq; statim in *Vitæ limine*, alios in *medio curriculo*, diversâ horâ & modô extinguat. Quod, cùm non sine divino nutu & Providentia fieri totidem scripturæ confirment testimonia, ipsaq; rerum Magistra experientia fidem dictis satis conciliet; sic omninò profundius cum accuratissimis Pandectarum divinarum Exegetis inquirere placuit: Num Deus homini cuicunq;, in *prima ita ætate*, vel in *medio curriculo*, vel etiam in *decrepita senectute* morienti, præcisè talem ex simplici & absoluto suo Decreto, posthabitô omni aliarum

Resp. WILHELMO GEORG. Schragmüller/ *Lennepâ Montano* An. 1701. 31. Aug.

causarum respectu, constituerit *Vitæ Terminum*, ut illo & non alio tempore mori Ei necessum fuerit? Ubi non diffitemur, in hac Quæstione ceu obscurissima & difficillima, multa præclarissima ingenia cœcutire sibi visa, adeò ut multis etiam in hunc usq; diem pomum contentionis manserit, aliiq; hoc aliiq; aliud de illa quæst. amplexi sint & propugnârint. Nihil tamen vetabit, quò minus in hoc Argumento quoq; Ingenii nostri vires exerceamus, intricatissimumq; hoc ænigma, ex ipsis Sacræ Scripturæ fontibus & rationibus ex Orthodoxorum scriptis collectis, solvamus & enodemus. Hoc dum piè meditamur, facilioris explicationis ergò, *tribus sectionibus* rem omnem emetiemur; Quarum *prima* propositi thematis ἔκθεσιν tradet, *Secunda* Veræ & Orthodoxæ ejus sententiæ βεβαίωσιν sistet: *Tertia* Argumentorum contrariorum διάλυσιν expediet, quod ut feliciter procedat, Deum O. M. devotis exoramus suspiriis!

SECT. I.

Sistens propositi Thematis ἔκθεσιν sive explicationem.

Evolutio Termini. §. 1. Rebus intenti, non diu in Vocabulis explicandis volutabimur, planum enim est, vocem *Termini* à terminando dicti, hoc locô non sumi *Notionaliter* pro termino Grammatico vel Logico, sed *Realiter* prout rem aliquam in Intellectu repræsentat. Rem inquam, non prout illa vel *Agri limitem*, vel Regionis alicujus *extremitatem* seu *finem*, sed *ultimum Vitæ nostræ momentum*, ultra quod transire non licet, denotat. Quod *Terminus* audit, quia eô Vitæ nostræ curriculum terminatur.

Vitæ §. 2. Ex addita verò Differentia *Vitæ humanæ* comparet, Non loqui Nos α. de *Termino humanæ Salutis* vel *divinæ Gratiæ*, quem gratiæ & salutis Terminum, Deum scelerum Vindicem quoq; in æterno suo Consilio relapsis *Apostatis*, *refractariis*, *excœcatis*, *induratis*, aliisq; *obstinatis Peccatoribus*, propter obstinatam eorum repugnantiam, constituisse & fixisse, multi hodie, non sine maximo Ecclesiæ nostræ offendiculo defendunt, quasi eô evolutô, omnes gratiæ & misericordiæ fores istis hominibus præclusæ sint, ut resipiscere

vel in

vel in gratiam reverti nequeant. De quo Argumento videantur scripta hactenus animo satis procincto semper inter Partes edita. Nec loqui Nos ꞓ. *indifferenter* de quacunq; omnium substantiarum corporearum animatarum *Vita*, sed *specialiter* de *Vita humana*, prout illa soli humanæ speciei convenit, ejusq; Terminus solis hominibus in æterno Dei consilio constitutus legitur, alioq; nomine *Mors*, *hora mortis*, vel *Vitæ finis* dicitur.

§. 3. Hic ultimus *Vitæ humanæ Terminus* communiter ex duplici principio æstimari solet, partim *ex causarum naturalium complexione*, partim *ex divina ordinatione*. ILLE qui ex causarum naturalium complexione definiri solet, dicitur Terminus Vitæ *Naturalis*, & metiri solet ex causis naturalibus tum *internis* v. g. calido innato, humido radicali, hominisq; Temperamento &c. tum *externis* v. g. fame, siti, crapula, aqua, igne, gladio, laqueo &c. prout hæ causæ externæ vitam nostram naturaliter abrumpere possunt. HIC verò qui ex divina ordinatione definiri solet, Terminus Vitæ *Supernaturalis* audit, prout Deus hisce causis *naturalibus* non alligatus, cursum earum strictè sequi non necesse habet, sed pro divina sua Voluntate, tanquam causarum secundarum Motor, vel naturæ suum cursum relinquit, vel eundem ob certas causas *immutat*, *promovet*, *destruit*, *prolongat*, *decurtat*, vel *duplicat* &c. *Vel est* naturalis vel supernaturalis.

§. 4. Uterq; tum *Naturalis* tum *Supernaturalis* iterum est duplex: Et quidem Naturalis est vel *Communis* vel *Singularis*: COMMUNIS est, quem homo per Naturam attingere potest, qui hoc nostro tempore eousq; se non extendit, quô tempore Patriarcharum ante & post diluvium (a) qui adhuc tempore *Mosis* fuit 70. 80. sicut hodie 50. 60. annorum. Cujus longævitatis præsertim antediluvianæ causa fuit *α. singularis Dei benedictionis efficacitas Gen. 3. 20.* pro fine habens tum prolis *Procreationem*, secundum illud *Gen. 1. 28.* Crescite & Multiplicamini & replete terram: tum cultûs divini *Propagationem*, quia tum verbo Dei scripto destituebantur, ubi vita longævior omninò erat necessaria, quâ eò commodiùs divinus cultus cum verbo Dei posset propagari. *ꞓ. Primæ Creationis Vicinitas*; quâ recens naturæ creatæ vigor, calidiq; innati & humidi radicalis bonitas, morbis variis adeo adhuc nondum obnoxia, exactè viguit. *γ. Nutrimenti Salubritas*: Ubi fructus aliæq; herbæ, aquis diluvii postmodum vitiatæ, nondum consenuerant. *δ. Loci Incolumitas*: habitabant etiam in Oriente, *Naturalis vel est* communis *vel* singularis.

riente, locô illô tempore ob aërem & ſolum ſaluberrimô, ad conſervandam Valetudinem multùm faciente. Sed de hoc Termino Vitæ naturali *Communi* h. l. non diſquiritur. SINGULARIS eſt, qui cujusq; hominis eſt, quô ſingula humana individua, prout is ex cujusq; caloris & humidi nativi deliquio proficiſcitur, ſicut *Abrahamus*, *Iſaacus*, *Jacobus* Annorum & Vitæ ſaturrimi, diem ſuum obiiſſe dicuntur, vel prout hic vel ille ex nimia Vitæ intemperantia, vel per aquam, ignem, gladium &c. exhæres vitæ redditur. Et de hoc hic ſermo, quando quæritur: *An hic vel ille Homo, Terminum ſuum naturalem attigerit, vel is ipſi abbreviatus aut prorogatus ſit?*

(a) Sunt, aliàs qui longævam hanc Patriarcharum Vitam negare non ſubdubitant ex eo, quod annos olim minores habuerint, aliquando *Menſtruos*, aliquando *bimeſtres*, aliquando *quadrimeſtres*, aliiq; annum ſuum unâ *æſtate*, alii unâ *hyeme*, alii *quadripartitis temporibus* determinarint; qualia etiam legere licet apud *Diodorum Siculum Biblioth. L.* 1. *Macrobium Saturn. L.* 1. *c. XII. Plinium Hiſt. Nat. Lib. VIII. cap.* 48. *Vid.* Alexandrum ab Alexandro *lib.* 3. *c.* 24. *Genialium dierum.* Sicut & *Varro*, teſte Lactantio, *Lib.* 2. *c.* 13. Verba Moſis ita intelligenda eſſe ſtatuit, ut per Anni vocabulum non *Solaris*, ſed *Lunaris* ſeu menſis denotetur. Sed contrarium probat *α. plurium Menſium denominatio*, ut: primi *Gen.* 8. 13. ſecundi *Gen.* 7. 11. *c.* 8. 14. ſeptimi *Gen.* 8. 5. *&c.* finge jam annum fuiſſe menſtruum, nec verba Moſis ſic recte ſe habere poterunt *β. Temporis Generationi Patriarcharum tributi determinatio*, ſi enim anni fuiſſent menſtrui, Patriarchæ vix 5. 6. 7. annos nati, generare cœpiſſent, ut patet exemplo *Thara Gen. XI.* 26. Conf. hic *Chronologos*, ſpeciatim *Iſingii* Exercit. hiſtorico-Chron. *diſp. I. p. m.* 10. *Calviſii* Op. Chronol. *f. m.* 172. *Strauchii* Breviar. Chron. *p. m.* 313. *Johan. Weichmanni* Chronol. Sacram *lib.* 2. *p. m.* 263.

Supernaturalis vel eſt gratiæ *vel* iræ.

§. 5. Terminus *Supernaturalis* ſeu *divinus* monente *Gerhardo in Diſputat. Iſagog. Diſp. XVII. p. m.* 667. alius eſt *Gratiæ*, alius *iræ*. Terminus Vitæ ſupernaturalis GRATIÆ eſt, quô Vita alicujus hominis vel PROLONGATUR, ut Hiskiæ contigit *Eſ.* 38. 5. vel ob impendens aliquod malum, & ſic ob proprium ipſorum commodum DECURTATUR, de quo Eſaias *c.* 57. 2. *Viri Miſericordiæ colliguntur*

guntur à facie malitia: Quinam hîc intelligantur Phrasis hebræa clarè subinnuit, quando אַנְשֵׁי־חֶסֶד Viros Misericordiæ, mox vocat צַדִּיקִים Justos, Conf. *Sap. 4. 10.* Sicut ita Rex *Josua* ad Patres suos colligebatur, ne oculi ipsius omnia mala viderent, quæ Deus introducturus erat super loca ista *2. Reg. 22. 20.* Idem patet de *Abia* filio Jeroboami *1. Reg. 14. 13.* aliisq;. Quæ Vitæ decurtatio etiam sæpè *citrà malum* aliquod imminens fieri solet, quando Deus Fideles suos brevi donat Vitâ; prout Vita Eorum Deo placuit, ne ab impiis seducantur, & malitia hujus mundi pervertat eorum intellectum; Et sic maturè felicitatis ac beatitudinis æternæ Eos posset reddere participes. Conf. *Gen. V. 24. Heb. 11. 5. Sap. 4. 7. 10. 11. & 14.* &c. Ubi tum illa Vitæ abbreviatio cum longævitatis promissione minimè pugnat, sicut *Regulæ Exceptio* (quâ Deus vitam Piorum fidelium abbreviat, quando ipsorum salus & utilitas id poscit) non pugnat cum *ipsa Regula* (Pii erunt longævi) Vel Duplicatur, quod factum in iis, qui semel *verè* defuncti, posteà verò miraculosè & virtute divina in vitam iterum revocati sunt, (b) quorum *Octo* in SS. literis fit mentio, è quibus tres Veteris Test. historia, reliquos verò novi Fœderis scriptores commemorant. Primus omnium fuit *filius viduæ Sareptanæ* ab *Elia* Propheta suscitatus *1. Reg. 17. 22.* Secundus fuit itidem *Hospitæ Propheticæ filius*, ab Eliæ Successore & Discipulo *Elisæo* ex mortuis suscitatus *2. Reg. 4. 35.* Tertius fuit Anonymus quidam jam jam sepulchro mandandus, qui cùm, ingruentibus Syrorum copiis, proximo Elisæi sepulchro injiceretur, ossaq; Prophetæ contingeret, statim iterum revixit *2. Reg. 13. 21.* Ex Novo Test. habemus *α. filiam Jairi Matth. IX. 18. Marc. 5. 22. Luc. 8. 41. β. Filium Viduæ Nainiticæ Luc. VII. 11. γ. Lazarum Bethaniensem Joh. XI. 44.* à Christo in vitam revocatos, & *δ. Tabitham* mulierem insigniter piam *Act. IX. 40.* à Petro, & *Eutichum Act. XX. 9.* à Paulo ex mortuis resuscitatos. Quibus sic vita ex singulari Dei gratia fuit duplicata. Et licet hæc in Vitam revocatio; post Evangelii confirmationem desierit (quod contra Monachorum, de multis Sanctis mortuorum resuscitationes fingentium commenta, notandum) sufficit tamen Deum in his, vitam Eorum duplicando, specialem suam gratiam declarare voluisse.

(b) Resuscitati etiam leguntur *Sancti* à Christo, tempore Resurrectionis, qui Hierosolymam vivi intrarunt; Sed quia

Hi diem suum non iterum obierunt, sed unà cum Christo in cœlum ascenderunt, ut: ex *Eusebio*, *Epiphanio*, *Ambrosio*, contra *Comarinum* aliosq; id probatum ivit Excell. *Bebelius pecul. Disput. de Bis-Mortuis Argent. An. 1672. ventilata, p.m.16.* idcircò exemplum hoc, ceu hîc alienum, meritò omittimus.

Terminus Supernaturalis Iræ.

§. 6. Terminus Vitæ Supernaturalis IRÆ est, quô Vita alicujus Hominis tantùm *decurtatur*, quod fit in hominibus sceleratis, quos Deus in pœnam, in medio dierum perdit, temperamentum ex sua natura validum vel *turbando*, vel causas externas illud dissolventes *non impediendo*. Qualem Terminum Deus *Sceleratis & Impiis* prædefinivit, Vid. *Gen. 9. 6. Exod. 22. 24. Lev. 19. 8. Deut. 21. 18. Ps. 55. 24. Matth. 26. 52.* inq; multis impiis & sceleratis hominibus executus est, sicut experti sunt *Ger* & *Onan Gen. 38. 7. 10. Israëlitæ Num. 14. 29. Ægyptii Exod. 14. 28. Absolon 1. Sam. 18. 9.* Aliiq; multi. Quæ vitæ decurtatio hîc iterum cum diuturniore & feliciore multorum Sceleratorum *Vita* non pugnat, sicut *Exceptio Regulæ* (quâ Deus ex infinita sua gratiâ ipsis dat tempus pœnitentiæ *Luc. 13. 8. 9. Rom. 2. 4. 2. Pet. 3. 15.*) non pugnat cum *ipsa Regula* (impii dies suos non dimidiabunt *Ps. 55. 24.*) Nec hic diffitemur & alias justissimas Deum ubiq; adhuc habere *causas*, etsi Nobis in hac infirmitate *occultas*, cur Injustum in injustitia sua longiùs vivere, Justum contra in sua Justitia ante tempus occumbere sinat. Ipse B. *Scherzerus* in Breviario suo Hulsemanniano *Cap. IV. de Providentia Dei p. m. 289.* Utrumq; hunc Vitæ humanæ Terminum *naturalem* & *supranaturalem* symbolicè propterea per jucundam harmoniam cum *Clepsydra* naturali & cœlesti comparare voluit, hoc pacto: Si elapsa sit *Clepsydra Cœlestis*, homini ex decreto vel *effectivo* vel *permissivo* moriendum sit, sive Clepsydra *naturalis* adhuc plena sit, sive ex Marasmo naturali, id est temperamenti vel roboris naturalis deliquio, evacuata. Si adhuc plena sit mors *violenta*, si evacuata mors *naturalis* sequatur. Quod si evacuatâ Clepsydrâ *naturali* cœlestis adhuc plena sit, Deus *naturalem* denuò impleat, ceu exemplo *Hiskiæ* constet *Es. 38. 5.* Hæc *Scherzerus*.

Uterq; & naturalis & supernaturalis

§. 7. Utrumq; verò talem Vitæ terminum Deum hominibus constituisse, certum & manifestum est ex Iob. 14. 5. *Tempus homini certum præstitutum est, numerus mensium apud te est: Terminum ipsi præfixisti, quem non transilibit.* Item ex *Ps. 139. 18. Imperfectum meum viderunt*

runt oculi tui, & omnes dies mei consignati erant in codicillis tuis, priusquam adhuc fierent. Conf. *Ps. 31. 16. Act. 2. 23. c. 17. 26. Matth. 6. 26. Prov. 16. 33. c. 15. 24. seq. c. 21. 1.* &c. Quorsum & facit cantilena Ecclesiastica: Wenn mein Stündelein verhanden ist. Utrùm verò Deus ex *absoluto, fatali & simplici*, omnes alias causas & causarum respectus antegresso *decreto*, utrumq; hunc Vitæ Terminum ita constituerit, ut, quô tempore & modo homo moritur, eo, & non alio tempore & modo mori ei necessum fuerit: De eo meritò controvertitur.

à Deo constitutus.

§. 8. Nos omninò cum Theologis Orthodoxis quæsiti negativam amplectimur. Quod dum ex ipsis S. Scripturæ fontibus probare aggredimur; in limine damus α. *Deum omnia vel absolutè vel posita hac vel illa conditione eventura, ab æterno prævidisse:* largimur β. *Deum quoad nostrum intelligendi modum, omnia ex hac prævisione præscire* (c) Concedimus γ. *Deum utrumq; Vitæ Terminum naturalem & supernaturalem cuiq; fixisse & constituisse.* Admittimus δ. *hunc à Deo cuiq; fixum & constitutum Vitæ Terminum certò & infallibiliter eventurum.* Nimis clara enim de his omnibus extant S. Scripturæ testimonia, ut adeo idipsum negare, ipsa fides prohibeat. Si enim capilli nostri numerati, sic, ut ne unus sine nutu divino de hominis capite defluere possit, imo si ne passerculus absq; divina Voluntate de tecto cadit, multominus homo absq; divina voluntate vitæ suæ jacturam faciet. Vid. *Matth. 10. 29. 30.* Conf. hic *Danhaw. Hodosoph. Phænom. IV. p. m. 328. D. Ægid. Hunnium qq. de Provid. p. m. 39. Brochm. Syst. Theol. de Provid. q. 4. p. m. 537. Kromajerum de Provid. p. m. 344. Scherz. Brev. Hulsem. p. m. 288.* & *Syst. Theol. de Provid. p. m. 128. Feurb. Fascic. V. Disp. VI. p. m. 842.*

Sed non absolute & fataliter.

(c) Præscientia hæc rectius *Scientia* dicitur, quia illa de Deo sic dicitur per ἀνθρωποπάθειαν more humano & in signo rationis, quia Deus extra *temporum intervalla* ἐν τῷ νῦν *æternitatis* vivens, omnia sibi habet præsentissima, ipsiq; nihil futurum est.

§. 9. Quod ita firmiter asserimus, ut cuivis constet, quàm longissimè hîc ab antiquissimorum Philosophorum *Epicuræorum* sententia abludamus, *Terminum vitæ* planè *fortuitum* facientium. Cùm enim *Providentiâ Divinâ* omnia sustentari & gubernari sciamus, totidemq; sacræ Scripturæ id confirment Testimonia; sic *Atheus* sit, opor-

Notantur Epicurei.

oportet, qui omnia *casu* & *fortuitò* ferri, defendere non erubesceret.

Verùm sub intuitu causarum secundarum. §. 10. His sic prælibatis; Eorum sententiam non facimus nostram, qui Affirmativam quæstionis propositæ propugnant, Deumq; ex *absoluto* & *simplici*, omnes alias causas & causarum respectus, antegresso Decreto, Terminum Vitæ homini constituisse & fixisse, defendunt; Damus enim α. *Deum omnia prævidisse*, tàm ea, quæ *absolutè*, quàm quæ *positâ hac* vel *illa conditione* eventura erant. Quæ prævisio *in se* quidem *essentialiter* & *simpliciter* nullatenus per certas determinari potest temporis differentias, sed omnia ita præsentissimè à Deo cognoscuntur, ut nihil ipsi *Præteritum* vel *Futurum* esse possit, *Ex prævisione.* attamen ut se habet ad *res prævisas*, omnino illa *limitata* esse potest, prout ἀνθρωποπαθῶς & secundum nostrum intelligendi modum, *ita res prævidit*, ut *eveniunt*. Non quasi ex ignotis ipsi facta sint nota, sed quod *simplici visione* & *notitia*, *mutabilia immutabiliter*, *successiva simul*, *temporalia ab æterno*, & quæ adhuc *futura sunt*, *præsentissimè unò simplicissimò actu* cognoverit & cognoscat.

Et præscientia. §. 11. Largimur β. Deum ex hac *Prævisione omnia præscire*. Non verò illa sic præscire dicimus, quia ex *absoluta voluntate* sic fieri decrevit, vel quasi illa *Præscientia* à divino ejus *Decreto* dependentiam inferat, *illudq;* sequatur, sed decrevit, prout res eventuras *præscivit* & *prævidit*, ita ut *Decretum divinum* potiùs à *Præscientia* & *Prævisione*, ipsaq; Præscientia & Prævisio à causarum secundarum actionibus *physicis* & *moralibus*, tanquam ab objecto, nostro intelligendi modo, pendulæ dicantur, & non causæ hæ ab ipsa Dei *Præscientia* vel *Decreto*.

Decretoq; ad causas prævisas inflexo. §. 12. Concedimus sic etiam γ. Deum Terminum Vitæ cuiq; fixisse & constituisse, sed non ex *beneplacito Dei absoluto*, omnes alias causas & causarum respectus antegresso, sed ex *beneplacito ad res & causas prævisas inflexo*, prout illa constitutio ex causarum naturalium vel moralium fluxu hîc definienda est. Et quemadmodum *Prævisio Dei in se* & *simpliciter* spectata, ita certis temporum intervallis non determinari potest, sic nec ultima hæc Terminalis Vitæ *Constitutio*. Quæ sic promiscuè etiam vel terminis *præteritis* vel etiam *præsentibus* in sacra Scriptura describitur. Ubi omnia jam pro stato hoc tempore præterita, de præterito etiam à Deo constituta dici possunt

ſunt ſcilicet *extrinſecè*, *objectivè* & *quoad Nos*, non tamen *intrinſecè*, *ſubjectivè* & *reſp. Dei.*

§. 13. Admittimus δ. *Conſtitutum illum Vitæ Terminum certò & infallibiliter eſſe eventurum*, ob Præſcientiam Dei infallibilem, ob quam res præſcita non poteſt non *evenire*. Quod verò non ſtatim intelligendum de eventu *neceſſario, abſoluto*, *inevitabili* & *fatali*, prout eventus hic omnem *contingentiam* tollit, ſecus enim nullæ humanæ Actiones eſſent liberæ, nec darentur contingentia? Sed intelligendum de eventu *certo* & *infallibili*, qui *fallibilitatem* & *incertitudinem* ſaltem negat, ob res divinitûs præſcitas, *infallibiliterq;* futuras. Ubi ſic quoq; Vitæ Terminum, ex cauſis *infallibiliter* eventuris & prævifis, *infallibili Decreto* conſtitutum, *infallibiliter* quoq; eventurum dicimus.

Quæ eventum quidem faciunt infallibilem non tamen neceſſarium

§. 14. Ex quibus ſic patet, quænam Orthodoxæ Eccleſiæ de hoc *Vitæ Termino* ſit ſententia, Deum ſcil. non ex *abſoluto omnes cauſas & cauſarum reſpectus antegreſſo decreto & beneplacito*, *Terminum Vitæ definiviſſe*; Sed ſicut Deus *omnia* ab omni æternitate eventura prævidit, *Illos ſcil. homines* ex voluntatis libertate media omnia ad Vitæ protogationem aſſumpturos; *Hos* verò Voluntati divinæ repugnaturos, & media ad abbreviationem vitæ facientia, accepturos, mortemq; præmaturam ſibi acceleraturos; Sic ILLIS ex mera gratia cauſas naturales, ne per cauſas externas violentas citiùs extinguerentur, conſervare, corruptas reſtituere, & ſic *Terminum Vitæ prolongare*, vel ob *malum* quoddam *imminens*, & loquente Scripturâ, ne cor eorum malitiâ pervertatur, vel alia de *cauſa*, etſi Nobis in hac infirmitate *occulta*, Terminum Eorum vitalem *abbreviare* quandoq; conſtituit & decrevit. HIS verò ut Impiis & Sceleratis, pœnæ locô cauſas naturales contrahere, naturæ vires impedire, & ſic Vitam Eorum *abbreviare*, vel ex ſingulari & æquiſſimo Judicio, vel in pœnitentiam vel in pœnam temporalem, ſuô concurſu ad commodum tempus *conſervare* & *prolongare* decrevit. Adeoq; Deum ſic non ex *abſoluto*, rem omnem *neceſſitante Decreto*, ſed ex cauſarum tàm *naturalium* quàm *voluntariarum*, adeoq; mediorum divinitùs præſcriptorum præviſo *uſu* vel *neglectu*, Terminum Vitæ definiviſſe, fixiſſe, præordinaſſe & conſtituiſſe, jam probabit

Hæc Orthodoxa noſtra de Termino Vitæ Sententia.

SECT. II.

Tradens Veræ hujus & Orthodoxæ Sententiæ βεβαίωσιν sive probationem.

Quibus sit opposita ostenditur.

§. 1. Cùm itaq; Vitæ humanæ Terminus *α.* non sit *fortuitus*, ut *Epicurei*, (d) nugantur. Nec *β.* *absolutè*, *fataliter*, *necessario*, *inconditionate*, *irresistibiliter* & *irrefragabiliter*, absq; ullo causarum secundarum intuitu & respectù à Deo constitutus, quasi per hanc *inevitabilem* ex absoluto Dei Decreto resultantem *necessitatem*, hominem hunc, nunc vel tunc, hoc vel illô modô mori oporteat, ut Calvinus *Lib.3. Instit. Th.c.23.* §.*6.seq.* Zanchius *Tom. 2. loc.5. de Nat. Dei c.1.p.442.* Piscator *Vol.1. Loc.6. Th.63. p.*128. Beza *part.2. Resp. ad Acta Colloq. Momp. p.152.* Hassiaci *in Synod. Dordrecht. de Art.3. & 4. p.695.* Aliiq; in Reformatorum Scholis instituti, seriò propugnant; ceu ex Eorum scriptis prolixè probavit *Menz. pecul. Disput. de Term. Vitæ àp.4. ad* 15. Nec *γ.* etiam planè sit *Mobilis*, ut inter *Arminianos* Episcopius *Tom.I. Oper. p.2. f.378.* sentit, sed, uti per divinam Omniscientiam *certò* & *infallibiliter* ex causarum secundarum, Physicarum & Moralium, in tempore eventurarum intuitu, *prævisus*, & inde ita præordinatus, ut huic præ illo longiorem, diuturniorem vel breviorem Vitam, ex *gratia* vel *vindicativa Justitia* fixerit & constituerit; Ita Nos mediâ Viâ incedentes *certum* & *infallibilem* Vitæ humanæ Terminum, certum annum, mensem, diem, certumq; mortis genus, quô ex hac Vita Ei abeundum sit, ex divino Decretô causas antecedentes non respuente, constitutum quidem esse dicimus, neutiquam verò *absolute* & *irrefragabiliter* necessarium, vel ex *absoluto Dei Decreto* ad Causas antecedentes non attendente, *fataliter* præfixum.

(d) *Epicurei*; ita dicuntur ab *Epicuro* Gentili Philosopho, qui annos ante Christum natum vixit 360. & juxta alios errores, omnes *divinæ Providentiæ actus*, circa inferiores mundi partes, & sic etiam circa hominis Vitam, negavit. Nec etiamnum desunt qui *ejus Regulis* favent, nec Verbum Dei nec Deum ipsum curantes. Quos tam S. Scriptura describit. *Sap.2.v.6.seq. Es.22. v.13. c.56. v.12. 1.Cor.15. v.32.* quàm experientia ipsa &

pſa & converſatio ob oculos ponit. Vid. *Pecul. Diſput. Meiſn. de Epicureiſmo Witteb. habita An. 1626. Et Stockmanni Elucid. Hæres. p.m. 214. Feurb. Faſc. V. Diſp. VI. p.m. 846.*

§. 2. Prob. I. *Ex Promiſſionum divinarum Suavitate:* Quæ circa *Terminum Vitæ* datæ, annexis *pietatis, obedientiæ* & *pœnitentiæ* &c. conditionibus ſemper fuerunt limitatæ, is enim ſi abſolutè fuiſſet definitus, fruſtra hæ conditiones fuiſſent annexæ. Promiſſiones tales habentur, *Exod. 20. 12. Honora Patrem & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram. Cap. 23. 25. Servietis Domino Deo veſtro, & benedicet pani tuo & aquis tuis, & removebo infirmitatem de medio tui. Prov. 3. 1. Fili mi, legis meæ ne obliviſcaris & præcepta mea cuſtodiat Cor tuum. v. 2. quia longitudinem dierum & annos Vitarum & pacem apponent tibi. Prov. 4. 10. Suſcipe eloquia mea & multiplicabuntur tibi anni Vitæ.* Adde *Deut. 4. 40. c. 5 16. c. 8. 1. c. 11. 9. c. 17. 20. c. 25. 15. c. 30. 20. Pſ. 41. 3. Pſ. 91. 16. Pſ. 102. 25. Prov. 10. 27. Jer. 18. 7. 8. Eph. 6. 2. 3.* 1. *Tim. 4. 8.* &c. Sic ob Pietatem *Noah* cum uxore & filiis eorumq; Uxoribus in diluvio conſervabatur *Gen. 7. 8. 9.* Ob eandem Pietatem *Loth* in Sodomitarum deletione fuit conſervatus *Gen. 19. 15.* Sic Moſes precibus ſuis Iſraelitarum perditionem avertit *Exod. 32. 11.* Sic & *Ezechiæ* Regi, cum Vitæ ſuæ naturalem Terminum compleviſſet, reſpectu ad ipſius pietatem & preces habitô, ex gratia Deus XV. Annos Ei ſuperaddidit. Paulus ſuis & Corinthiorum precibus à morte ſe liberatum dicit 2. *Cor. 1. 8. 11.* &c. Plura exempla paſſim ubivis in Scriptura S. obvia, allegare hic ſuperſedemus. Nec piis hanc Vitæ prolongationem promiſit vel conceſſit, *quia ita decrevit;* ceu multi has promiſſiones ita infirmare tentant, ſic enim *abſolutè* & *illimitatè*, & *ſepoſitâ omni conditione* quoq; promiſiſſet? ſed id non factum, neq; ad impletâ conditione, id quod promiſit, Pios deſtituere fecit, Ergo.

Prob. α. Ex divinarum promiſſionum ſuavitate.

§. 3. Prob. II. *Ex Comminationum divinarum Severitate.* Pertinent huc omnes illæ Comminationes, quibus Deus omnibus Impiis, Sceleratis, Impœnitentibus & refractariis, ſub intuitu *Impietatis* & *malitiæ*, Vitæ brevitatem minatur. Quales comminationes manifeſtiſſimæ, in Scripturis S. paſſim inveniuntur, ut: *Lev. 26. 24. ſeq. Quod ſi non volueritis recipere diſciplinam meam, ſed ambulaveritis ex adverſo mihi, ego quoq; contra Vos adverſus incedam, & percutiam vos ſepties propter peccata veſtra.* Conf. *Deut. 4. v. 26. c. 7. v. 10. c. 3. v. 19. cap. 11. v. 17. c. 30. v. 18. Job. 21. v. 22. Pſ. 55. v. 24. Pſ. 104. v. 35. Pſ. 109. v. 8.*

β. Ex comminationum ſeveritate.

Prov. 10. 27. *Es.* 1. 20. Sic ob impietatem *Ger* & *Onan* in medio dierum occidebantur *Exod.* 32. 27. *Core Dathan* & *Abiram*, cæteriq; Deum blasphemantes *Num.* 16. 31. *seq.* Et plurimi alii per universam Scripturam passim obvii fuerunt extincti. Jam si homini Vitæ Terminus ex immutabili & absoluto Dei, omnes conditiones excludente Decreto, fuisset constitutus, Scriptura has Conditiones Comminationibus hisce non annexuisset. Nec est, quod α. hîc Nonnulli se excusent; Causarum naturalium & moralium conditiones Se non excludere. Dum enim ita sententiam declarant, non loquuntur de ipso *Decreto*, sed *Decreti Executione*. Patet hoc ex verbis *Wendelini*, *Zanchii* aliorumq;. Sicut etiam *Piscator* hac de re *in Disput. de Prædestinatione th.* 80. ita scribit: *Si*, inquit, *non Executionem Decreti*, *sed Decretum ipsum spectes*, *illud simplex & absolutum est*, *quippe non aliunde nisi ab ipso Dei beneplacito pendens*. Conf. *Johan. Crocium de Elect. Conc.* 1. *p.* 37. Dicis: atq; sic absolute *media* non excludunt, sed *Executioni* includunt. ℞. α. includunt non ut *contingenter fluentia*, sed ut *absolutè*, *fataliter* & *inevitabiliter*, *necessitateq; simplici ita futura*, talia verò media non possunt esse conditionata, nec executionem limitare, vel sub conditione mediorum executionem linquere *contingentem*? Multominus sub horum mediorum intuitu, Deus suas Promissiones & Comminationes ita ad populum dirigere potuit. Licèt igitur hîc includant media ita *fataliter fluentia*, excludunt tamen *ab Executione* media ita *contingenter fluentia*. Sive verò illa *fatalia media* ita includant sive non includant, perinde est, rationes certè in contrarium stantes eò ipsô de Veritatis solio non deturbabunt, nec erroneam suam de *absoluto decreto*, *absolutaq; decreti executione*, fatalia licet media includente, sententiam, ita expurgabunt. ℞. β. Dum Conditiones & media sic ad *Decreti Executionem* tantùm referunt, ipsum Decretum verò absolutum faciunt, ab *Inconditionato* ad *Conditionatum* sic apertè colligunt. Quis verò hanc consequentiam probaret? Non ad *Executionem* tantùm, sed ad ipsum *Dei Decretum* quoq; hæ conditiones pertinent. Si enim *Executio Decreti* est conditionata; ipsum *Decretum* quoq; tale sit, necesse est, & Vice Versa.

Excip. §. 4. Nec est, quod adhuc hîc ingeminent: Deum ad exequendum hoc suum Decretum hæc *media & conditiones* constituisse; Falsò enim id præsupponitur: Media enim & Conditiones in *Præ-*

℞. *scientia* vel *Decreto divino*, rei exequendæ vel Termini Vitæ exe-

quendi

quendi Constitutionem non *consequuntur*, sed nostro intelligendi modo *antecedunt*. *Quos enim Deus præscivit* (Media scilicet vel accepturos vel repudiaturos) *illos etiam prædestinavit. Rom. VIII. 29.* Secus enim Deus & omnia mala ad Decretum exequendum constituisset? Quis verò adeo blasphemus in Deum foret, ut id asserere non exhorresceret? Conf. *Brev. Hulseman. Extens. Cap. XV.* §. 2. *p. m.* 240. & *B. Johan. Ernest. Gerh. Disputat de Term. Vitæ.* §. 24. Feurb. *Fascic. V. Disp. VI. p. m. 848. seq.*

§. 5. Prob. III. *Ex Prædictionum Conditionatarum Claritate*: Quot enim in sacrarum literarum Pandectis non habentur Prædictiones, quibus Deus vel *Gratiam* suam, si egerint pœnitentiam, vel *Interitum*, si in impietate perrexerint, *immediatè* vel *mediatè* per Prophetas aliosq; Viros θεοπνεύστους prædixit? Nonne primævo Mundo prædixit πανωλετρίαν, nisi intra 120. Annos pœnitentiam egerit, suaq; horrenda flagitia deplorarit? *Gen. 6. 3.* Similia exempla vide *Jon. 3. Jer. 18. 7. Luc. 13. 3. 5. &c.* Sic aliis etiam facinorosis Deus pœnas prædixit infligendas, uti patet ex *Gen. 9. 6. Deut. 21. 18. Exod. 22. Lev. 19. Matth. 26. 52. Apoc. 13. 10.* Jam si absolutè & citra conditionem pœnas malitiosis præstituisset, hasce *conditiones* non annexuisset, nec homicidis *pœnam capitalem* sub conditione *patrati homicidii* decrevisset, quia hæc duo simul consistere nequeunt: *Absolutè* & *sub Conditione* simul, hoc vel illud velle vel non velle.

γ. Ex prædictionum conditionatarum claritate.

§. 6. Sunt qui hîc excipere non subdubitant, in iis, quæ Deus sic *conditionatè* prædixerit vel promiserit; sæpe ex *voluntate signi* non semper ex *voluntate beneplaciti* prædixisse vel promisisse. Ubi *Voluntatem Signi* esse dicunt, quâ Deus sæpe *exterius* aliquid velit & præcipiat, quod tamen *seriò* non velit, sed cujus sæpe contrarium ut fieret, ab æterno decreverit. *Voluntatem* verò *beneplaciti*, quando interno, arcano & absoluto decreto aliquid velit, etiamsi vel maximè externo affectu id non velle significet. Verum ℞. hæc distinctio hoc sensu (e) sumta expresse repugnat *α. Dei Veritati & Sanctitati*, quia omnia Dei opera non consistunt in *Simulatione* sed in *Veritate Ps. 33. 4.* Si staret hæc distinctio, foret Deus hypocryta & simulator, sed non est Deus nôster hypocrita vel simulator, non est mendax & mutabilis *Num. 23. 19.* ut foris loquitur, sic intus sentit. Quæ se velle prædixit, ea etiam verissimè ita vult. Repugnat

Excip.

℞.

β. *divinæ Voluntatis identitati*, distinctio hæc fingit in Deo distinctas voluntates contrarias, *voluntatem* scil. *beneplaciti*, quæ *voluntatem signi* in verbo patefactam, ceu priori contrariam tollat, vel mendacii arguat, quis verò Sanctissimo talem simulatæ contrarietatis notam vellet inurere? Repugnat γ. *Terminorum*, *signi & signati qualitati*, qui sibi non *opponuntur*, sed ad se invicem *referuntur*, ita, ut, quod per voluntatem signi notificatur, id ipsum *intus* non *in contrarium* statuatur. Quod igitur Deus vult *extra*, etiam vult *intra*; quare malè ita distinguitur.

(e) *Hoc sensu* notanter: Alio eoq; orthodoxo sensu distinctionem hanc à Luthero *in Cap.6.* Geneseos, aliisq; Theologis adhibitam, Vid. apud *Meisnerum Anthropol. Disp. XII.* §. *XXIII. seq.* Conf. *Scherz. System. Theol. Loc. II. De Deo* §. *14. p.48.*

δ. *Ex precum utilitate.* §. 7. Prob. IV. *Ex fidelium precum Utilitate.* Quales preces inveniuntur partim resp. *nostrûm ipsorum*, ut patet exemplo *Davidis Ps.102. v.25.* *Regis Ezechiæ 2. Reg.20.1.2.* Aliorumq; 2. *Paralip.32.24. Es.38.1.* partim *resp. Aliorum*, ut patet exemplo Orantis *Mosis Exod.31.11.* Quales preces se exauditurum, Deus ubiq; promisit. Jam si Deus immutabili & absolutô Decretô homini Vitæ Terminum prædefinivisset, frustra preces tales pro Vitæ prolongatione fuissent fusæ, sed hoc posteriùs est absurdum, Ergò & prius: Consequentia patet, quia eventus mortis necessarius omnem precum efficaciam tollit. Conf. hic Bechm. *Annot. ad Hutterum Loc. de Provid. p.m. 100.* & *D. Ægid. Hunnium Tom. I. de Providentia p. m. 713.* Gerhard. *Tom. VIII. de Morte p. m. 99.* *Danhaw. Hodosoph. Phœn. 3. p. m. 331.* sed *inquis*: etiam Certitudo & Infallibilitas Termini Vitæ, precum efficaciam videtur enervare, ut per hanc quoq; frustra preces pro Vitæ prolongatione vel abbreviatione fundi videantur. Verum ℞. non *Infallibilitatem*, sed ex decreto Dei absoluto fluentem *inevitabilitatem*, precibus illam vacuitatem inducere, quia illa *limitata*, hæc *illimitata*, *Illa* sub conditione precum ita dicitur, *hac* verò precum conditiones excludit, *illa* ex harum conditionum prævisione *certitudinem*, *hac* ex absoluto decreto *inevitabilem necessitatem* infert, *illa* precum, ex devotione debitè fusarum & prævisarum, efficaciam includit, *hac* ad eandem non attendit &c. Unde diversa *infallibilitatis & inevitabilitatis* ratio satis patet. Multis sane Deus

Vitæ

Vitæ Terminum in respectu ad prævisas preces, pro Vitæ prolongatione fusas, fixit longiorem, quem non ita fixisset, si preces illas devotas non prævidisset.

§. 8. Prob. V. *Ex Medicinæ Efficacitate*: Si medicina ideo à Deo creata, ut legitimo eorum usu, Vita hominis prolongari possit, sequitur Terminum Vitæ non *absolutè* & *simpliciter*, sed sub horum mediorum intuitu esse præfixum; Atqui verum est prius, Ergo & Post. Min. prob. *ex Sir. 38. 1. Honora Medicum propter necessitatem, illum etenim creavit altissimus.* Non igitur Vitæ Terminus absolutè præstitutus. Sic enim *α. frustra Deus Medicinam creasset.* Frustra *β. Medicina adhiberetur*, quia nihil ægrotantibus prodesset. *γ.* Vacuâ Imaginatione studium hoc à Medicinæ Doctoribus excoleretur. Quis verò Eò dementiæ procederet, ut id asserere non renueret? Malè Rex *Ezechias* sic ex mandato Prophetæ, ficorum massam super ulcus suum posuisset, nec curari inde potuisset, quod tamen factum legimus *2. Reg. XX. 7.* Si medicamentum hoc sprevisset, graviter fortè peccasset. Sic & Christus cœlestis ille Medicus noster *Exod. 15. 26.* multos sanavit ægrotos, teste historiâ Evangelicâ. Idem fecerunt Apostoli *Marc. 6. 13.* & Presbyteri in primitiva Ecclesia *Jac. V. 14. 15.* Ab hac Medicinæ efficacitate tamen non excludi volumus Piorum *Preces* Deiq; *Voluntatem.* His enim absentibus & optima medicina nihil prodest, sicuti Rex *Asa* à morbo suo non convaluit, sed obiit, quia in infirmitate sua non quæsiverat Dominum, sed in Medicorum Arte fuerat confisus. *2. Par. 16. 12. 13.*

5. Ex Medicina efficacitate.

§. 9. Nec est, quod hic Quidam excipiant: Medicinæ efficaciam hîc subordinari ex *Divino Decreto*, quô omnia, quæ fiant, ita Dei inevitabili decreto fiant. Resp. enim: Decretum Dei hic admittendum, sed non *fatale* & *absolutum*, sed *limitatum* & *conditionatum*; quo multi Medicorum ope, Deô virtutem & efficaciam largiente, ex morbis ita recreantur, Qui, si illa media contempsissent, Deus fortè illas etiam in vita ita non conservasset, sed sivisset Eos mori. Si etiam fataliter & ex decreto divino ita adhiberentur Medici, nunquam sanè negligentiæ vel inscitiæ possent incusari, nunquam reprehendi, quia sic culpa non esset in *Medico*, sed in *Deo*, nunquam etiam Medici mererentur laudari, quod accuratè magnaq; diligentia ægrotos curârint. Nec Pharmacopolæ cuidam, quis crimen movere posset, quod ex scabiosis quandoq; herbis Medicamentum præparârit &

Excip.

R.

Acesiam

Acesiam egerit &c. Sed cùm hæc ita statui nequeant, omninò hæc omnia ita ex absoluto decretô dependere, minimè concedendum. Vid. *Hunnium c.l. de Providentia. Conf. Feurb. c.l. de Vita Termino.*

ζ Ab Arbitrii libertate.

§. 10. Prob. VI. *A relicta in Hominibus Arbitrii Libertate*, quòd Experientia rerum magistra satis comprobat, Non quidem in *Spiritualibus* & *Theologicis*, Actionibus tamen *externis profanis* & *mundanis*, rationi humanæ & sensibus subjacentibus, ceu sunt α. *actus naturales* ad vitam hominis naturalem & animalem spectantes, ut sunt: *edere, bibere, dormire* &c. β. *actus civiles*, qui à bono cive per leges Magistratus requiruntur, ut: *militiam gerere, tributum solvere* &c. γ. *actus morales*, in genere ad virtutis & vitiorum exercitium spectantes, de quibus in Ethicis δ. *actus artificiales*, in genere ad artes liberales & illiberales pertinentes, ut: Artes *manuarias exercere, terram colere.* Certè in his hominem habere libertatem, quis negabit? Non subabsurdè hic inquit *Scotus*: *Non tam rationibus quàm cruciatibus esse agendum contra negantes hoc. Tamdiu enim verberibus pulsandi essent, donec confiterentur, in nostra potestate esse, eos non amplius pulsare, si conquererentur de injuria, responderi posset, quid de nobis conquerimini, cum vos ipsi asseratis, non esse in nostra potestate cessare à verberando.* Hisce omnibus sic repugnare dogma de *fatali Vitæ Terminò*, cœcus sit qui non videat, siquidem dogma hoc apertè *negationem contingentiæ & Liberi Arbitrii* infert. Quòd candidè fatetur *Piscator*, *Non nego*, inquiens, *per necessitatem à divino decreto dependentem, everti libertatem istam Part. I. Resp. ad Duplic. Vorst. p.230. circa fin.* Conf. hic *Menz. Exeg. A.C. Art.18. edit.6. p.m.776. Carpzovii Isagoge ad A.C. p.m.480.*

η. Ab Exemplorum, conditionis observationem includentium, claritate.

§. 11. Prob. VII. *Ex notabiliorum exemplorum, certæ alicujus conditionis observationem includentium, Claritate.* Adducimus hîc α. *Exemplum* LOTHI *ipsiusq; uxoris Gen.19. ℣.12.* liberati ab interitu Sodomitico, non *simpliciter* quicquid etiam agerent, sed sub conditione, si *egrederentur*, & non *retrospicerent.* Hinc etiam *Lotho* credere nolentes deleti ℣.25. & uxor ejus retrospiciens versa est in statuam Salis ℣.26. Ubi sic Lotho Terminus Vitæ fuit ab æterno prolongatus, non *simpliciter* sed sub *prænotione istius mandati, de discedendo observati.* Nec ipsius Uxori sic Terminum Vitæ decurtandum ab æternò constituit *absolutè*, sed sub *intuitu ad ipsius retrospectationem*, Allegamus hîc β. Exemplum DAVIDIS, illô tempore,

quô

quô Saul urbem *Ceilam* evertere meditabatur, ita Dominum rogantis: *An dedituri essent ipsum in manus Saulis cum suis hominibus?* Ubi Dominus respondit: *dedituri sunt.* Sic verò *David* cum viris suis egressus de Ceila & liberatus. 1. *Sam.* 23. *v.* 11. *seq.* Hic clarissimè patet, Davidi Vitæ terminum hîc fuisse prolongatum, non *simpliciter*, sed sub *intuitu egressionis.* Si enim David in *Ceila* mansisset, venisset cum suis in manus Saulis, & periisset, sicut Deus ipsi prædixerat. Urgemus γ. *Exemplum JUDÆORUM Jer.* 21. *v.* 9. 10. *Cap.* 38. *v.* 1. 3. Ubi Deus ostendit Judæis, quomodo forent pereundi, si in Civitate à Rege Babyloniorum exurenda, manerent; contra pollicetur, quomodo vitam sint conservaturi, si *urbe exirent*, & ad *Chaldæos confugerent.* Quod etiam ita fieri ab æterno decreverat, non quidem *simpliciter*, sed κατὰ πρόγνωσιν *observantiæ vel negligentiæ* populi, hoc Dei monitum vel observantis vel despicantis. Promimus hîc δ. *Exemplum* PAULI & SOCIORUM *Ejus.* Hi enim unâ classe proficiscentes, cùm naufragere inciperent, Paulusq; ex Angelo Dei audivisset, omnes periclitantis Navis Socios ipsi à Deo esse donatos, statim Nautas, demissâ in mare scaphâ, effugere quærentes, ita inclamavit; *Nisi hi in Navi manserint vos salvi manere non potestis. Act.* 27. 30. 31. Quid planius hîc dici posset? Hîc enim è naufragio eluctari quærentibus, Vitæ Terminus fuit prolongatus, non *simpliciter*, sed *sub hac expressa conditione*, ut manerent in navi. Certè si è navi fugissent, periissent, & Deus, Qui sub *intuitu hujus conditionis*, quâ ipsos mansuros in Navi ab æterno prævidit, in sua infallibili προγνώσει alium & quidem longiorem Vitæ Terminum ipsis quoq; præstituere voluit. Plura omninò exempla ex sacra Scriptura hic congerere possemus, si non breves hîc Nobis ducendæ forent lineæ; Quæ B. L. proin proprio studio ex S. literis sibi colliget.

§. 12. Prob. VIII. Et ultimo; *ex absurdorum inde emergentium Pluralitate.* Si enim Deus *Vitæ Terminum* Homini cuivis, ex absoluto & simplici, omnes alias causas & causarum respectus antegresso Decreto constituit, sequitur α. *Deum esse causam peccati*, Qui omnia ita irresistibili & inevitabili quoq; necessitate ordinâsset, intemperantiam, crapulam, libidinis exercitium, latrocinia, aliaq; quæcunq; scelera & flagitia ita fieri absolutè decrevisset. β. *Deum quibusdam constituisse Vitæ Terminum infamem* v. g. per suspendium, i- *θ. Ex absurdorum pluralitate.*

C gnem

gnem, rotam, suffocationem &c. absolutè subeundum. Hoc modo per *αὐτοχειρίαν* *Saul 1. Sam. 31. 4. Achitophel 2. Sam. 17. 23. Judas Matth. 27. 5. &c.* fataliter occubuissent, Israëlitæq; Inevitabiliter à serpentibus fuissent necati, non quia contra Dominum murmurârunt *Num. 21. 5. 6.* Sed quia ex *absoluta voluntate* sua, internecionem hanc ita decrevit. Imo γ. inde sequitur: *Nullum hominem jure delicti alicujus posse incusari:* Sic innocenter Fures, Latrones, aliiq; Malefici in rotam subigerentur, strangularentur, aut aliis suppliciis exterminarentur, quia fatali impulsu sic eò fuerint adacti. Et quæ absurda plura inde fluunt & emergunt. Hæc verò cum manifestissime falsa sint, quis errorem talia absurda parturientem non corrigeret?

Excip. §. 13. Sed *inquis*: Talia absurda aliquem in communi illa persuasione ex quacunq; *Praeordinatione* divina, sive *absoluta* & *simplici*, sive *limitata* vel ad *causas causarumq; respectum inflexa*, inferre posse, quia etiam hæc, talem rebus superinducat eventum, ut eâdem ratione illa inde sequi videantur.

℟. ℟. Nequaquam; Eventûs enim *certitudo* & *infallibilitas* talia non gignit, sed eventûs *necessitas* & *inevitabilitas*, quia priori modo illa ita eveniunt, quia Deus illa ita eventura *prævidit*, posteriori verò modô, quia Deus illa ita absolutè evenire *decrevit*. Jam quia prior eventus ita ex rebus prævisis, non verò ex Dei absoluto beneplacito præordinatus, quomodo eadem ratione quis illa absurda inde deducere poterit, attribuendo ea Deo, quæ rebus prævisis imputanda erant? Sic v. g. quia multi naturaliter in multam usq; senectam vivere poterant, prævidit Deus, hos illosq; sua *intemperantiâ*, *ebrietate*, *crapulâ*, *libidine*, aliisq; peccatis morbos sibi conciliaturos: Item prævidit Deus in *Furibus*, *Latronibus* aliisq; Maleficis, qualia commissuri sint scelera, quomodo eô tempore, quô naturaliter adhuc valebant, præmatura & infami morte sint obituri, quomodo alii in rotam subingentur, alii gladio percutientur, alii strangulabuntur, quomodo id Deus *prævidit*, ita quoq; *præfinivit*; Si *ἀσώτων* & maleficorum talium nequitiam eorumq; pœnam & præmaturam Vitam non *prævidisset*, Vel si aliter Eos victuros prævidisset, prævisam & præmaturam infamem mortem eis Deus in eorum pœnam non fixisset, sed diutius illos vivere sivisset.

Ex his §. 14. Quæ cum ita sint, manifestissimum est, illa absurda

eadem

eâdem ratione ex eventu illo *certo & infallibili* minimè ſequi, talesq; *ἀσώτȢς latrones, fures,* aliosq; maleficos Deum non poſſe incuſare, quando ita præmaturâ morte intereunt, quaſi *abſolutè & inevitabiliter* hunc eis *Terminum* fixerit, & illô & non aliô modô & tempore, eos mori decreverit; fecit enim id ex *intuitu cauſarum ſecundarum.* Quod jam cauſis ſecundis imputari fas eſt, Deo tribui nequit. Et hæc pro confirmatione Sententiæ noſtræ hîc ſufficiant. Plura Argumenta deſiderantem remittimus ad *D. Ægid. Hun. Tom. 1. Op. fol. m. 712. D. Gerhardum Tom. VIII. L.C. C. VII. p. m. 91. D. Feurb. Faſcic. V. Diſp. VI. & VII. de dicto Jobi p. m. 860. ſeq.*

ſic claritas Theſeos patet.

SECT. III.

Expediens Argumentorum Contrariorum διάλυσιν ſive reſolutionem.

§. 1. Confirmatâ ſic Orthodoxâ noſtrâ de *Termino Vitæ humanæ* ſententiâ; Jam brevibus Argumenta illa veniunt reſolvenda, quæ hic in contrarium communiter objiciuntur. *Primo* enim huic ſententiæ contrariari inquiunt, Dictum illud *Job. 14. 5.* Ubi dies noſtri dicantur admenſi: *Definiti ſunt dies ejus, numerus menſium ejus apud te eſt: Conſtituiſti terminos ejus, quos non præteribit.* Sed ℞. Diſt. inter conſtitutionem *certam* ſive *infallibilem* & *abſolutam* ſive *fatalem*, *illa*, non *hæc* indicatur; Nullibi enim Jobus *fatali, ſimplici & abſoluto modo*, illam conſtitutionem factam eſſe inſinuat. Jam ab illa ad hanc non V. C. *Illa* enim cauſarum ſecundarum reſpectum includit, *Hæc* eundem excludit. Nec eſt, quod hîc ex hebræo urgeant phraſin חֻקָּיו עָשִׂיתָ Nam vocula חוק etiam *Terminum* notat ceu patet ex *Job. 26. v. 9.* & *Prov. 8. 29.* Et poſito, per hoc vocabulum ſignificari *Decreta*, non tamen ſignificant *abſoluta*, ſed *reſpectiva*, indiſtractam cauſarum ſecundarum χέσιν includentia. Sicut etiam ultima verba: וְלֹא יַעֲבֹר׃ *Et non præteribit*, non intelligenda ſunt in reſpectu ad *abſolutum & ſimplex aliquod Dei decretum*, ſed in χέσει ad *infallibilem* ipſius πρόγνωσιν & ſapientiſſimam Providentiam. Neutiquam igitur dictum hoc favet fatali illi neceſſitati. Vid. Hunn. *Tom. V. Op. p. m. 523. Feurb. l. c. p. m. 844. Prückn. Vindic. in h. l. p. m. 207. Menz. Diſp. de Term. Vitæ p. m. 28.*

Argumenta contraria diluuntur.

Arg. 1.

℞.

Arg. 2. §. 2. *Secundò* sententiam suam propugnant ratione, à *Præscientia divina* deprompta, quæ *rebus infallibiliter præscitis, necessariò certissimum afferat eventum, ita, ut, quô mortis genere, locô & horâ homo moriatur, Eum ita mori oportuerit.* Sed ℞. 1. Argumentum hoc niti falsâ hypothesi, de *Præscientia divina* res præscitas *necessitante*, vel Præscientiam esse rei præscitæ causam, & quidem non tam *illationis*, quàm *productionis* & *essentiæ*, hoc sensu enim & omnium scelerum, quæ eventura præscivit, esset causa, quod absurdum. *Deus omnia, quorum ipse Author est, præscit, non tamen omnium quæ ipse præscit Autor est*, inquit *August. lib. 3. de Lib. Arbit. c. 4.* ℞. 2. Negatur Præscientiam certissimum eventum rebus prævisis afferre, quia Deus multa futura contingentia conditionata præscivit, vel futurabilia, quæ tamen non evenêrunt, v. g. cùm Salvator exclamat; *Matth. 11. 12. Væ tibi Chorazin, Væ tibi Bethsaida, quoniam si in urbe Tyri & Sydonis facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in Vobis, in sacco & cinere pœnitentiam egissent.* Confer Exemplum de *Davide 2. Sam. 23. 10.* ℞. 3. Dum ita de Præscientia Dei non *intrinsecè* & *rat. essentiæ*, sed *extrinsecè*, & prout ad *res præscitas inflexa est*, disputamus; tum illa *infallibilitatem* & *immutabilitatem* illam, non infert rebus *ex se* & *à priori*, sed duntaxat ex *præscito objecto* & *à posteriori*, prout necesse est eam rem *esse*, quam Deus scit. Quæ verò res omnino poterat *aliter esse* in sua natura, sicut tunc Deus quoq; *aliter* hanc rem præscivisset. Quare non tam à *Præscientia* tanquam causa, sed à *Rei eventu* vel *objecto*, ita à Deo præviso vel præscito illa *infallibilitas* potiùs inferenda. *Nec ideo* inquit *Rudrauf. Instit. Metaph. Cap. 8. p. m. 340. Res futuræ sunt, quia prævidentur, sed ideo prævidentur, quia futuræ sunt. Ubi sic objecta Præscientia, in signo rationis priora ipsâ scientiâ, & sic Scientia eorum causa non sit. Dicis: Præscientiam hic non esse simpliciter spectandam, sed complexè, quatenus Decretum & Voluntatem Dei habeat conjunctam?* Ita *Chamier Panstr. Tom. 2. l. 2. de Provid. c. 4.* Conf. *Ursin. in Tract. Theol. p. 67.* Sed ℞. Hæc posse concedi, si α. non intelligatur *Decretum fatale* & *absolutum*, sed *conditionatum* & ad res prævisas inflexum; β. si cum *Præscientia non confundatur*, sed ut *distincti actus* inter se distinguantur. Differunt enim *Subjectivè* & *Objectivè*. *Præscientia* namq; ad *Intellectum* refertur, & circa omnes hominum actiones, *bonas*, *malas*, imo nonnunquam etiam futuras & impossibiles versatur; *Decretum* verò

verò ad *Voluntatem* pertinet & circa possibilia tantùm occupatum est. *Excipis*: Etiam à *Wendelino* & aliis hæc ita distingui. ℞. distinguuntur, sed *ordine inverso*, quô Præscientiam Decretò faciunt posteriorem, eiq; objectum assignant, jam antè decretum, uti hoc *Wendelinus* Aliiq; pro inferenda rei cujusq; præscitæ necessitate, expresse innuunt, Vid. *Wendel. p.* 1. *Thol. Vindic. c.* 25. *p.* 834. At verò inter actus Intellectûs & Voluntatis divinæ, Decretum non antecedit, sed Præscientiam sequitur. Conf. *Rom.* 8. *v.* 29. Ubi præscita Deus prædestinare, non prædestinata præscire dicitur. Quod prius & posterius actibus divinis ita convenit, non *in se* & *subjectivè*, sed *objectivè* & rat. *rei*, circa quam illi Actus ita occupantur. Vid. *Feurborn. l. c.* §. 44. *seq.*

§. 3. *Tertiò* suam sententiam communiunt ex *Psal.* 39. 61. הִנֵּה טְפָחוֹת נָתַתָּה יָמַי׃ *Ecce ut palmos posuisti dies meos.* ℞. Ex dierum *fugacitate* vel *brevitate*, malè infertur absoluta. Ejus *fatalitas*; de priori enim non posteriori h. l. agitur, Et posito, etiam hîc agi de Vitæ Termino, palmorum mensurâ dimenso, sic ejus *dimensionem* concedimus, *fatalem* verò ejus *constitutionem* negamus. Nec est quod hic jungant locum *Ps.* 31. 16. *In manu tua tempora mea*, sunt enim omninò omnia, quæcunq; homini in hac mortalitate obtingunt, in Dei providentis & decernentis manu, *sed non fataliter & ex absoluto decreto*, *sed certò & infallibiliter.* Nec est, quod ulterius excipiant: Omnem infallibilitatem inferre immutabilitatem, infert quoq; eandem, sed non quæ ab *absoluta Dei voluntate* & *beneplacito*, sed à causis secundis *eorumq; eventu* ita *præviso* propendet. Arg. 3. ℞.

§. 4. Quartò urgent; *Definitum Dei Consilium de Christi Morte*; cujus mentio fiat *Act.* 4. 28. ubi expresse dicatur, *Herodem* & *Pilatum convenisse, ad faciendum, quæcunq; manus Dei, & Consilium ejus priùs decreverit, ut fierent.* Idem haberi *Act.* 2. 23. *Hunc enim definito Consilio & præcognitione Dei deditum, cùm accipissetis* &c. Quod interpretatur *Chamier Tom.* 2. *l.* 3. *c.* 4. §. 25. Non decretum esse duntaxat definitô Consiliô, ut Christus pateretur, sed etiam ut Judæi Eundem interficerent. Hinc etiam extare *Luc.* 24. 26. Οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν χριστόν; *Nonne hæc oportuit Christum pati?* Sed ℞. ex *definito Dei Decreto & Consilio*, omninò oportuisse Christum pati & mori, sed non ex *Decreto* Dei *simplici* & *absoluto*, sed *hypothetico*, ad salutarem *Generis humani Redemtionem* inflexo, quod Decretum Arg. 4. ℞.

adeoq; non infert Necessitatem *consequentis* & *absolutam*, sed *consequentiæ* seu *hypotheticam*. Deinde *Decretum* de Mediis ad finem istum tendentibus, non fuit *causale*, v.g. *Quia* Deus decrevit, ideo Herodem & Pilatum convenisse? Sed fuit *ordinis* & *consequentiæ*, v.g. *Postquam* prævidit Deus, quod Judæi Christum odiis indesinentibus essent prosecuturi & deniq; in crucem acturi, idcirco etiam ita decrevit. Quod si Judæi ab ista nequitia sibi temperâssent, aliter etiam Deus ab æterno Genus humanum redimere decrevisset, potuisset enim Christus mori, nullâ ullius hominis malitiâ vicariam manum præbente. Decrevit verò Deus, ut per manus Judæorum Christus crucifigeretur, decreto non *effectivo*, sed *permissivo*, non *concessionis* sed *tolerantiæ*. Non enim legitur *Act.9.28.* Deum Pilatum & Herodem prædestinâsse, ut ista *facerent*, sed eos *fecisse*, quæ Manus & Consilium Dei prædestinaverat *fieri*. *Nec* obstant hic *Vaticinia* & *Typ. V.T.* tàm de Christi *Passione*, quàm de *Judæorum Malitia* extantia, Quod *oportuit* ea omnia impleri? ℞. *oportuit* ea impleri non *necessitate causali*, i.e. quasi Vaticinia causa fuerint istorum eventuum, sed *eventuali*, quia scil. eventus isti futuri erant, & à Deo prævisi, ita etiam à Deo prædicti. Vid. Hunn. *Tom. I. Op. Lat. Col.726. seq.* Hutter *in LL. Theol. p. m.773.* Thumm. *in Impiet. Photin. p. m. 316.*

Arg. 5. §. 5. *Quintò* sententiam suam ex eo *stabiliunt*: Quod *omnes actus voluntatis humanæ tanquam causæ secundæ, dependeant à Prima. Act.17. v.28.* Ubi in Deo *esse*, *vivere* & *moveri* dicamur. ℞. Dependent à *prima* non *fataliter*, sed cum Voluntatis *libertate* & Rerum *contingentia*. Providentia enim & Concursus Dei hanc hominis libertatem non tollit. Ut enim ante lapsum stante Dei Providentiâ, Voluntas humana erat libera; Ita adhuc hodie Deus concurrit cum causis secundis & hominum actionibus, non pro *sua natura*, sed pro *natura causæ secundæ*, ubi cum liberis concurrit *liberè*, cum contingentibus *contingenter*, cum necessariis *necessariò*. Et quando sic concurrit cum Voluntate hominis, concurrit tantùm ad id, ad quod voluntas jam ante *liberè* sese determinavit. Nec obstat: *Voluntatem ipsam esse à Deo*, Ergò & *ejus libertatem*; confunditur enim Voluntas ipsa, cum ejus *Exercitio*. Ibi Deus est causa *producens*, hîc tantùm *concurrens*. Ideoq; à potentia ad actum sic malè colligitur.

Arg. 6. §. 6. *Sextò* ingeminant: *Prævisum voluntatis exercitium ab æterno fuisse nullum, Ergo illud etiam Decretum Dei non potuisse reddere conditionatũ.*

℞. Fuit

℞. Fuit nullum scil. *Objectivè ab extra*, non tamen fuit nullũ scil. *Objectivè ab intra*, prout Deus intra sese, oculo divinæ Omniscientiæ, omnia in tempore ab hominibus per voluntatis libertatem actura, omninò *prævidit*. Postquam enim Deus hominem creare ab æterno decrevit, omninò omnia ista in hominibus futura, Deum prævidisse, non negandum est.

§. 6. *Septimò* adhuc instant: Multa dari Exempla v. g. *Infantum* per Diluvium & tyrannidem Herodis extinctorum, item *multorum Martyrum*, innocentissimè in primitiva Ecclesia occisorum. Ubi sic Deus in Vita eorum abrumpenda ad eorum *obedientiam* vel *inobedientiam* non respexerit. ℞. Confundi hîc decretum *permissivum* cum *effectivo*, quæ mala fieri prævidit, *permissivè* fieri decrevit, permissione *tolerantiæ*, adeoq; neq; hîc causarum secundarum intuitum divina bonitas antegressa est, secus enim *decreto effectivo absoluto* talem internecionem ordinâsset, quod de gratiosissimo Deo dicere, impium & blasphemum. Loquimur verò sic de *innocentissimè* & *tyrannicè* extinctis; Non enim diffitemur, hîc etiam interfuisse multos, Quibus ob cordis *malitiam* & *Impietatem*, sic justè Vita fuit abrupta. Sicut & Deus, Infantibus in Diluvio Vitæ Terminum constituendo, non tàm respicere voluit ad *Inobedientiam* Eorum *propriam*, quàm ad *Inobedientiam Parentum*, propter naturalem communionem & connexionem, quæ hîc inter Parentes & liberos intercedit. Vid. sis *Frid. Bechm. Theologiam Polem. Loco de Providentia Dei, Controv. II. Sect. 3. p. 347.* Et *Musæi pecul. Disp. de Jure puniendi liberos propter peccata Parentum Jenæ An. 1674. habitam.*

Arg. 7. ℞.

§. 7. *Octavò* sententiam suam plausibilem reddunt ex eo, quando colligunt, Hanc nostram de *Termino Vitæ conditionato* sententiam, inferre: *Destinatum Providentiæ divinæ cursum, posse per media illa, quæ ubiq; hîc includamus, inhiberi, Deiq; Decreta mutari, quò absurdius verò nihil dici possit.* Sed ℞. Termini hi τὸ *inhiberi, mutari*, θεοπρεπῶς Essentiæ Divinæ convenienter intelligendi, hîc malè ἀνθρωποπαθῶς & modulô humanô emetiuntur. Malè quoque media, quæ hîc ubique includimus, ceu *posteriora* ipsô Providentiæ divinæ cursu Decretoque divinô, concipiuntur. Malè etiam ipsa *Executio* in tempore futura, cum ipso Dei *æterno Decreto* confunditur. Quæ omnia sic pro fundamento habent falsam illam hypothesin, quasi omnia ab *absoluta Dei Voluntate* & *beneplacito*, sive bona sive

Arg. 8. ℞.

ſive mala ſint, propendeant. Diximus igitur ſuprà *Sect. I. §. 11.* Prævisionem, Præſcientiam & Decretum, à cauſarum ſecundarum actionibus, tum *Phyſicis* tum *moralibus*, tanquam ab Objectô, noſtrô intelligendi modô inferre dependentiam, mediaq; ſic *antecedere.* Quæ omnia ſic quidem in ſigno rationis concipimus; cavendum tamen ne juxta *menſuram* rationis, extra θεοπρέπειαν hîc ea emetiamur. Concedimus itaq; Providentiæ divinæ curſum, Deiq; Decreta eſſe *immutabilia*, prout ſcil. *in ſe*, *ſimpliciter*, *eſſentialiter*, *ad intra* & *identificatè* cum ipſa Eſſentia, Voluntate & Principio omnia decernente, ſpectantur; prout tamen Decreta ἀντικειμένως, *ad extra*, & *terminativè* ad *res* & *cauſas præviſas* flectuntur & terminantur, omninò ex cauſarum naturalium vel moralium *variabili* & *mutabili* fluxu, ipſa *divina Decreta* ſic quoq; definiri poſſunt, non ἀνθρωποπαθῶς, ſed θεοπρεπῶς, prout illa ſic eſſentiæ divinæ convenienter tunc intelligenda ſunt. Addit *Menzerus Diſput. ſuprà allegatâ p. 26. Qui orat*, inquit, *ut in plures annos ſibi Vitam prolonget*, *non orat*, *ut* mutetur Decretum Dei, *ſed ut id*, *quod conditione precum & pietatis Deus promiſit & donare decrevit*, *adipiſcatur*, *idq; ſecundum ipſum Dei Decretum. Et ſic etiam judicandum de reliquis.* Hactenus *Menzerus.*

§. 8. Quæ hîc præterea objiciuntur, ex datis hactenus reſponſionibus facilè in favillas reddi & reſolvi poſſunt. Quare ne & hujus Diſputationis Terminos & limites tranſiliiſſe videamur, manum de tabula hic ſubmovemus, Deumq; devotè rogantes, velit & *Vitæ noſtræ Terminum* ubiq; Nobis reddere beatum, per & propter Jeſum Chriſtum Filium ſuum dilectum, unicum Dominum & Salvatorem noſtrum Amen!

SOLI DEO GLORIA!

Votivus Amicorum Applausus.



EN! SCHRAGMÜLLERI soboles, spes magna Parentis,
Dilectus gnatus. Quod probat hoc specimen,
Quod chartis promtis per publica compita spargit,
Quod non fatalem sit subiturus *homo*
Mortem, per stoicos nec ferri tempora cursus,
Hoc SCHRAGMÜLLERUS doctus & ipse feret.
Cum PRÆCELLENTIS defendens dogmata docti
Nostri BAROPI, schommata quæ valida.
Non hic exponetq; rudi latitare volenti;
Adversæ partis quo minus arma ferant.
Sic SCHRAGMÜLLERUM nostrum monumenta paterna
Æternâ cedro prælia digna monent.
Nocte dieq; vocant, paria ad fastigia gnatum,
Nunc quoq; virtutis dans documenta tuæ.
Macte piis studiis Magni Patris æmula proles
Quam duxit Genitor. Tu quoque perge viam!
Sic stabis mundo fama victrice verendus,
Cùm tibi sic similis fama Parentis erit.

hIs LIberè eXpetItIs VotIs tIbI Dona eX athere VoVet
ChrIstIanVs MerthInI.

WILHELMUS GEORGIUS SCHRAGMüLLERUS

κατ' Ἀναγράμμα.

Gargarus Masculus heu vis illos Mulge.

EVOLUTIO.

G*Argarus* ipse suam promit nunc, plaudite Cives
Fœcundam Messem, *Masculus* ipse siet
Quem profusa Ceres, fœcundam pascit in herbam
Heu vis, nunc monstrem, Quem legit ipsa Ceres?
Implevit spicis Molitoris abundè Molinam,
Illos sic cernis, quos beat ipsa Ceres.

Sic

Sic SCHRAGMüLLERUS gaudet, gratantur Amici,
Sed *Mulze* ê studiis Commoda multa tuis.
ENGELBERTUS Schimmel / *Schwelmâ Marcanus.*

ESt animi vilis semper latitare sub umbris,
Cûi mens est fortis prælia dura cupit.
Non nisi pugnanti condigna corona paratur,
Non nisi qui meruit gloria clara venit,
Te probitas, virtus, Te, te sapientia vestit,
Hinc adstat subitò gloria magna Tibi.
De vitâ humanâ tuus est discurrere nisus.
Et benè concertas strenuus & superas.
Schragmüllere premis tua nunc vestigia Patris
Cûi quoq; cum reliquis gaudia magna paras.
Sic benè vive Deo patriæ benè vive Parenti
Sic benè cedet opus, sic benè cedet honos.
CASPARUS WITTHENIUS, *Valberthâ-Marcanus.*

SChragMöLLero responDentI.
TEmpore præsenti nobis quæcunq; minantur
Prohdolor interitum, nunc exitium meditantur.
Ipsa Parens frugum tellusq; injusta noverca
Nunc facta est, siquidem parvæ sunt munera eleusis.
Terrigenûm multos mors pallida surripit, atq;
Horribilis visâ terremur imagine necis.
Addit adhuc stimulum Mavors qui sanguine gaudet,
Imò quid multis? fatalia cuncta videmus.
Hinc non immeritò mî SCHRAGMüLLERE sodalis
Doctam materiam de fixo limite vitæ
Proponis, simus nos ut memores libitinæ.
Annuat his igitur cœptis Moderator Olympi,
Et post victoriam Tibi det Dominusq; coronam.
JOH. CHRISTOH. Sohn / *Neopolitanus.*


Siccinè Solerti Studiô Sinuosa Serenas
Somnia Stultorum? Sanè Splendore Stipatus Sy-

Sydere Speratô Structas Sermone Sagittas
Subsidio SUMMI *Superas: Sic Suavia Serta*
Sudorem Sanctum Signantia Sæpè Sequentur.
Solùm Stes Stabilis Semper Syncere Sodalis
SCHRAGMüLLERE, *Sagax Stupefactus Spondeo Spectans*
Spontè Statim Specimen Sparget Splendente Susurro.

gratabVnDVs Ista apposVIt
Iohannes henrICVs VVItthenIVs, VoLbergâ-MontanVs.

ΟΝτως, τῶν ΘΑΝΑΤΟΣ ΘΝΗΤΩΝ ΟΥΚ ΑΠΡΟΝΟΗΤΟΣ·
ΑΛΛ' ΑΥΤΟΙΣ ΘΕΜΕΝΟΝ ΤΟΥ ΒΙΟΤΟΥ ΟΡΙΟΝ.
Ὕψιςος δὲ φύλαξ διαζακτὴς δωδεκαμήνων, Ἡσαΐ.
Μηνῶν, ἡμερινῶν ἡμετέρων τε χρόνων. λή. έ.
Τοὺς πλοκάμους κεφαλῆς Πρόγνωσις καὶ διασώζει· ἰώβ. ιδ'.
Εὐπορίας τούτων ἐκ ἐπιλανθάνεται. έ. ψαλ.
Χριςὸς τοῦ κόσμου Σωτὴρ ταύτην ἀποφαίνει ρλθ'. ις'
Ἴσως τοὺς ςρουθοὺς, ὡς παραδειγματικῶς. Ματθ. ί. λ'
Χωρὶς τῆς βουλῆς μηδεὶς εἰς γῆν καταπίπτει Ματθ. ί.
Οὐρανίου Πατρὸς, κήδεος ὦ μέγεθος! κθ'.
Ὄντως νῦν δειχθὲν, θνητοὺς σὺν τῇ θεραπείᾳ
Θνήσκειν, πῶς ζητεῖ γράμμα τὸ πνευματικόν.
Καίτοι, κἂν τούτοις οὔπως ψεῦδος κε συνάπτει·
Οὐχ ΑΠΛΩΣ μέντοι ΤΕΡΜΑ ΒΙΟΥ τὸ λεχθὲν.
Πλὴν ΣΥΝ ΤΗ ΤΑΞΕΙ ΠΡΟΒΟΛΩΝ ΦΥΣΙΚΩΝ χαριέντωσ·
Ἄλλως ΑΙΤΙΑΘΕΙΣ ΣΦΑΛΜΑΤΟΣ ἐςὶ Θεός.
Οὐδὲν τῶν πιςῶν ΕΥΧΑΙ καὶ ΦΑΡΜΑΚΑ ΠΑΝΤΑ.
Ἀλλάγε τῆς ΒΟΥΛΗΣ ἡδὺς ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ.
Ἡ ὕλη δήπου δεινῶς αὔτη μετέωρος,
Τοίγαρ μήτ' ἀνομεῖς καὶ φίλε χρηςότατε·
Ἄχρις ἂν εὐδοκιμεῖ ταύτην ἀμύνειν ἐπίπηδες.
Παλλάς σοι δώσει ςεμμάτιον φανερῶς.
Ὀρθῶς ὑψηλῇ σπουδῇ γαρ τοῦτ' ἀκολουθεῖ.
Εὔχομαι τῆς χάριτος Πνεύματος ἀφθονίαν.

φιλίας ἕνεκα ἐποίησε
FRANCISCUS LUDOLPHUS à Fridag.



MJſtu mein werther Freund/ nun die Catheder ſteigen/
Und wie das Lebens-Ziel beſchaffen/ tapffer ſagen/
So nimm des Geiſtes Schwerdt/ ſo wird ein jeder ſchweigen/
Und wirſt mit deinem Wehr die Feinde von dir jagen:
Ja ſtreite tapffer fort/ die Ehren-Kron iſt deine/
Welch' Dir Apollo ſchon zu Ehren hat gebunden/
Von Roſen ſchön geziert/ und wie Jch recht vermeine/
Wird Dein gelehrtes Haupt daſelbſt mit ſeyn umbwunden.


Herman Nicolas Sirrenberg/ von Hattingen-Märck

SCHRAGMÜLLER *ſcandit Cathedram ſua ſuppara pandit,*
Cordatus pellit, ſic de ſtatione revellit
Hoſtiles ſortes, & quæ tremuêre cohortes
Rejicit in fumū, quas ſic nō ſternit ad humū?
Aſperā & infectā qui nôrunt condere ſectā.
Gemmiferum nomen capies, ſub PRÆSIDE *& Omen:*
Majorem laudem captabis ſi quoq; fraudē
Occultā expelles, & dogmata falſa refelles.
Lucens det lumē ſtudiis venerabile Numē,
Longævam & meritam Summus donet tibi vitam,
(Fratris Exemplar Patris maneas: & dogmata
Reſpicias. Totum ſic eſt de pectore votum.

JOH. Hartman/ *Neo-Eccleſiâ Montanus.*

E*Ditus* Schragmüllere *es inclyto ſatu,*
Inambulas veſtigiis rectis Magni
Parentis, *atq;* Avi paterni *Doctoris*
Summi, Spirenſis & Miniſtri divini
Verbi, Materni poſt Aviq; Scheibleri
Tremoniæ Miniſter hic erat ſummus
Eccleſiæ; dum quando craſtinus clavis
Retexit, orbem radiis Titan, doctô
Ore tuô refutabis Argumentum
De termino ſimpliciter vitæ noſtræ
Fatali. *Hinc auges tuorum Majorum*
Famam, tuamq;. Sic evades in doctum
Virum. Tibi Camœna poſt exantlatos
Multos labores, & graves noctes dulcis,
Lauru caput cinget, & otium lætum
Dabit. Tibi Cognate gratulor tota
Ex mente. Nunc addat Deus votis pondus!

PETRUS ARNOLDUS Mering/ Tremonianus.



TE ſtudio ſacro ſæpe invigilaſſe fatendum,
Talia dum tentas, ſacram ſcandisq; Cathedram
Atq; ſtrophas inimicorum vi frangis inanes.
Hinc plauſum & laudem labor hicce meretur opimum;
Pergito ſolerter, memoranda trophæa reportes
Atq; Patri & Patriæ fies præclarus Apollo.
HæCCe eXIgVa gratVLabVnDVS ReſponDentI sIC feCIt atqVe apponnere VoLVIt
ZaCharIas Löbbeke,

HEus! mî Præceptor, qui ſcandis pulpita ſancta,
Et ſic adverſis, objicis ipſe tuis.
Conſtringas igitur, ſolitò de robore firmo,
Ut mores Patrios, ſic facias celebres.
CASP. CAROLUS JOH. BEURHUSIUS, Stud. 4. Cl. Trem.